

# P. VERGILI MARONIS GEORGICON LIBER QVARTVS

Atque equidem, extremo ni iam sub fine laborum  
vela traham et terris festinem advertere proram,  
forsitan et, pingues hortos quae cura colendi  
ornaret, canerem, biferique rosaria Paesti,  
quoque modo potis gauderent intiba rivis 120  
et virides apio ripae, tortusque per herbam  
cresceret in ventrem cucumis; nec sera comantem  
narcissum aut flexi tacuissem vimen acanthi  
pallentesque hederas et amantes litora myrtos.  
Namque sub Oebaliae memini me turribus arcis, 125  
qua niger umectat flaventia culta Galaesus,  
Corycium vidisse senem, cui pauca relictis  
iugera ruris erant, nec fertilis illa iuvenis  
nec pecori opportuna seges nec commoda Baccho.  
Hic rarum tamen in dumis olus albaque circum 130  
lilia verbenasque premens vescumque papaver  
regum aequabat opes animis seraque revertens  
nocte domum dapibus mensas onerabat inemptis.  
Primus vere rosam atque autumnis carpere poma,  
et cum tristis hiems etiamnum frigore saxa 135  
rumperet et glacie cursus frenaret aquarum,  
ille comam mollis iam tondebat hyacinthi  
aestatem increpitans seram Zephyrosque morantes.  
Ergo apibus fetis idem atque examine multo  
primus abundare et spumantia cogere pressis 140  
mella favis; illi tiliae atque uberrima pinus,  
quotque in flore novo pomis se fertilis arbor  
induerat, totidem autumnis matura tenebat.  
Ille etiam seras in versum distulit ulmos  
eduramque pirum et spinos iam pruna ferentes 145  
iamque ministrantem platanum potantibus umbras.

Verum haec ipse equidem spatiis exclusus iniquis  
praetereo atque aliis post me memoranda relinquo.